

C. PLINII SECUNDI NATURALIS HISTORIAE

LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO.

C. PLINIUS SECVNDVS VESPA-
SIANO SVO S.



LIBROS naturalis historiae nouitium Camænis Quiritium tuorum opus natum apud me proxima sætura, licentiore epistola narrare constitui tibi iucundissime Imperator (sit enim hæc tui præfatio verissima, dum maximi consenescit in patre.) Nanque tu solebas meas esse aliquid putare nugas, vt obiter emolliam Catullum conterraneum meum. Agnoscis & hoc castrense verbum. Ille enim, vt scis, permutatis prioribus syllabis duriusculum se fecit, quam volebat existimari à Veraniolis suis & Fabullis. Simul vt hac mea petulantia fiat, quod proxime non fieri questus es in alia procaci epistola nostra, vt in quadam acta exeat, sciantq; omnes quam ex æquo tecum viuat imperium. Triumphalis et censorius tu, sextumq; consul, ac tribunitiæ potestatis particeps: Et quod his nobiliter fecisti, dum illud patri pariter & equestri ordini præstas, præfectus prætorio eius, omniaq; hæc Reipublicæ. Et nobis quidem qualis in castrensi contubernio? Nec quicquam mutauit in te fortunæ amplitudo in ijs, nisi vt prodesse tantundem posses vt velles. Itaq; cum cæteris in venerationem tui pateat omnia illa, nobis ad colendum te familiariter audacia sola superest. Hanc igitur tibi imputabis, & in nostra culpa tibi ignosces. Perfricui faciem, nec tamè profeci: quâdo alia via occurris ingens, & longius etiâ submoues ingenij fascibus. Fulgurat in nullo vnquâ verius dicta vis eloquentiæ, tribunitiæ potestatis faciendia. Quâto tu ore patris laudes tonas? quâto fratris amas? quâto in poetica es? O magna sæcunditas animi: quemadmodum fratrem quoq; imitareris excogitasti. Sed hæc quis posset intrepidus æstimare subiturus ingenij tui iudiciū, præsertim laceffitū? Neq; n. similis est cōditio publicantiū, & nominatim tibi dicantiū. Tum possem dicere, quid ista legis imperator? Humili vulgo scripta sunt, agricolarū, opificū turba, deniq; studiorū ociofis: quid te iudicē facis? Cū hanc operā condicerē, non eras in hoc albo. Maiorē te sciebam, quam vt descensurum huc putarem. Præterea est quadam publica etiâ eruditorū reiectio. Vtitur illa & M. Tullius, extra omnem ingenij aleam positus, & (quod miremur) per aduocatum defenditur. Hæc doctissimum Persium legere nolo, Lælium Decimum volo. Quod si hoc Lucilius, qui primus condidit styli nasum, dicendum sibi putauit: si Cicero mutuandum, præsertim cum de republica scriberet: quanto nos causatius ab aliquo iudicē defendimur? Sed hæc ego mihi nunc patrociniã ademi nuncupatione. Quam plurimum interest, sortitur aliquis iudicē, an eligat: multumq; apparatus interest apud inuitatū hospitem et oblatum. Cum apud Catonem illum ambitus hostem, & repulsis tanquã honoribus indeptis gaudētē, flagrantibus comitijs pecunias deponerent candidati, hoc se facere pro innocentia (quod in rebus humanis summū esset) profitebatur: inde illa nobilis M. Ciceronis suspiratio: O te felicē M. Porti, a quo rem improbam petere nemo audet. Cū tribunus appellaret L. Scipio Asiaticus, inter quos erat Gracchus, hoc attestabatur, vel inimico iudici se approbari posse. A deo summum quisq; cause suæ iudicē facit, quæcunq; eligit, vnde pronocatio appellatur. Te quidē in excelsissimo humani generis fastigio positū, summa eloquentia, summa eruditione præditū, religiose adiri etiâ à salutatibus scio. Et ideo immensa præter cæteras subit cura, ut quæ tibi dicantur, cōdigna sint. Verū & dijs lacte rustici multaq; gentes supplicat, & mo la tantū salsa litant, qui nō habēt thura. Nec vlli fuit vitio deos colere, quoquo modo posset. Meæ quidem temeritati accessit hoc quoq; quod leuioris operæ hos tibi dedicaui libellos. Nam nec ingenij sunt capaces, quod alioquin nobis perquam mediocre erat: nec admittunt excessus aut orationes, sermonesue, aut casus mirabiles, vel euentus varios, non alia iucunda dictu, aut legentibus blanda. Sterili materia rerum natura, hoc est, uita narratur, & hæc sordidissima sui parte, vt plurimarum rerum aut rusticis vocabulis aut externis, imo barbaris, etiam cum honoris præfatione ponendis. Præterea iter est, non trita autoribus via, nec qua peregrinari animus expetat. Nemo apud nos qui idē tentauerit, nemo apud Græcos qui vnus omnia eã tractauerit. Magna pars, studiorum amenitates quæ rimus. Quæ uero tractata ab alijs dicuntur immensa subtilitatis, obscuris rerum tenebris premuntur. Iam omnia attingenda, quæ Græci τὰς ἐγκυκλοπαιδείας vocant, & tamen ignota aut incerta ingenijs facta. Alia uero ita multis prodita, ut in fastidium sint adducta. Res ardua, vetustis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus uero naturam, & naturæ suæ omnia. Itaque etiam non affectatis, uoluisse, abunde pulchrum atque magnificum est. Equidem ita sentio, peculiarem in studijs causam eo-

A iij rum